

De 931



542. acc.
acc. 542.



II. A. 19. 0.



0.



PHILOSOPHIAE
MAGISTER
DIPLOMATOLOGICAE ARABICAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

SCRIPTA ET SUBMISIT
GABRIEL AMPLISSIMI PHILOSOPHUS

AD ACADEMIAM UNIVERSITATIS
FRIEDERICI-GUILIELMI BEROLINENSIS

PROBOS IN THEOLOGIA ET HONORIS

AD ACADEMIAM UNIVERSITATIS

PHILIPPO MULLER



INITIA
CHROMATOLOGIAE ARABICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ORDINIS AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII M. JUNII A. MDCCCL

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS BOETTICHER

BEROLINAS.



OPPONENTIBUS

R. GOSCHE, PH. DR.

O. STRAUSS, TH. ST.


M. UHLEMANN, PH. ST.

BEROLINI

EXCUDERANT TROWITZSCHUS ET FILIUS.



1. Color niger.

أسود etymologice ni fallor color principalis ab eadem dictus radice unde Hispanorum ille propugnator celeberrimus Cid vocabatur, num shedim Hebraeorum Deut. 32, 17: ψ 106, 37 et ipsi huc redeant dicere non habeo quum et siddhis Indorum comparari queant daemonibus aerem habitantibus et a  'vagatus est' dicti existimari ut planetae essent per coelum discursitantes. aswad color pure et intense niger. aswad est carbo non incensus Amrulq. div. p. 38, 16: penna aquilina ibid. p. 43, 20: caesaries Arabum ibid. p. 46, 15: Ham. p. 543, 22: 612, 18: oculus Ham. p. 496, 8: sanguis concretus crassusque Hamas. p. 379, 9 (sic ater sanguis Virgil. Aen. 3, 28: cruores atri ib. p. 4, 687: 9, 333: 11, 646: ater tabus ib. 9, 472): lebes longo usu continuoque fumo fuliginosus Ham. p. 691, 27: 742, 23. quod ad symbolicam nigredinis potestatem attinet audi quae Mac Guckin de Slane ex kitâb alaghâni ad Amrulq. div. p. 31 exhibet: les Arabes ne portaient jamais le turban noir excepté quand ils avaient une vengeance à exercer. nigrescit facies hominis ob timorem Amrulqais div. p. 30, 16 'si affligor [haud semper animus meus prostratus fuit], saepe etiam calamitatem valide in fugam conieci dum nigrescebat facies ignavi'; sic ater ti-

mor et atra formido apud Virgilium Aen. 9, 719: 12, 335: cf. Joel 2, 6: Nahum 2, 11. item nigrescit facies ob infortunium Hamas. p. 427, 14 'fatum crines eorum nigros reddidit albos et facies albas nigrescere fecit' ubi Tebrizius: similia sunt quae de Uryan ben Elhaitham narrantur quem quum interrogasset Abdelmalik quid ageret, ille, albert, inquit, apud me quae nigrescere, nigruere quae albere mallem addito simul disticho: quum juvenis essem eram albo colore splendidoque, post canitiem factus sum niger ac pullus. quibus cum ultimis verbis compares lepidum Hafizii tetrastichum:

O hoffe nur alles was du vermagst vom himmelskreis
und fürchte nur alles was du kannst vom zeitengleis.
du sagtest daß nach dem schwarz es keine farbe giebt:
o dies mein schwarzes haar warum denn ward es weiß?

quomodo color niger et ignaviam et moestitiam significare possit atque adeo vindictam facillime nos intellecturos puto si vim ut ita dicam contractivam nigri coloris de qua iam Plato in Timaeo et Keplerus in notis ad Vitellionem exposuerunt comparemus cum Semitarum more dilatationem ad gaudium securitatem et opulentiam transferre: hircib Jahve lanu Gen. 26, 22; baççár hircabta li ψ 4, 2 etc.

Proxime cognata videntur voces *حالك* et *اكحل* vel *كحيل* sive *مكحول* quibus accedit quam infra tractabimus vox *اطحل*. radix simplex exstat in hebraico chel'a 'aerugo' Ezech. 24, 6 vel potius 'macula aerugine contracta'. si fortasse radicem indo-europaeam comparasse iuvat, equidem indica vocabula *kâla* 'niger', *kalana* et *kâlaka* 'macula', graeca *κλεινός* et *κηλῖς*, latinum *caligo* componerem, quae omnia a radice *kri* 'facere' provenientia colorem non naturalem sed adiecticium arte quasi factum designant, fortasse

etiam ῥῆ ὕλη proprium. radix ka'hala tantummodo de oculorum stibio illitorum nigredine usurpatur Ham. p. 151, 7: 584, 1: Amrulq. div. p. 50, 10. 'hâlik de facie senis corrugata Ham. p. 427, 17: de sanguine crasso spissoque ibid. p. 379, 9 utroque loco iuxta vocem aswad positum.

Nonnulla vocabula colorem nigrum apud Arabes designantia radicem 'hamma communem matrem agnoscunt unde ea via de qua F. Hitzigius ad Esaj. 9, 18 exposuit descendunt. quae radix primo loco fervorem indicat et calorem; deinde sicut etiam Latini uri dicunt eum qui molestia afficitur et vexatur vexationem, unde forma reflexiva octava ihtamma 'se ipsum anxit, sollicitus fuit' Ham. p. 433, 9. simul vero etiam calor ad propinquitatem et amorem transfertur Ham. p. 90, 16: 276, 27. admodum cognata radix levior hamma unde ihtimâm i. q. ihtimâm 'sollicitudo'. احم est equus Ham. p. 90, 16: oculus cervinus Ham. p. 179, 4: gena cervi Amrulq. div. p. 34, 2: gingiva puellae antimonio denigrata quo magis dentium albedo luceat Ham. p. 348, 11.

اسحم forma hitpaelica emollitis consonantibus. color satis niger, nam Ham. p. 147, 27 camelo adscriptus pici comparatur. ad-ham est nox Ham. p. 357, 10: lebes longo usu fuliginosus ib. p. 743, 15: 750, 11: camelus ibid. p. 634, 9 et de camelis quidem et lebetes tanquam adiectivum nominascens non addito expresse nomine substantivo adhibetur.

اسحم forma quasi shafelica cuius apud Hebraeos exempla omnibus nota shablûl et shalhebet. a'sham est cauda equi Amrulq. div. p. 24, 11: coma puella Ham. p. 566, 4: nubes imbrem largum effundens Amru'q. div. p. 20, 4. proxime cognatum استخامي : nox Ham. p. 38, 26: alae

noctis ib. p. 357, 10 et اصمحم terra imbre abundo rigata fertilis Ham. p. 110, 26.

dubius haereo num etiam فاحم huc referendum sit i. e. niger carbonis (fa'hîm Amrulq. div. p. 38, 16) instar. caesaries puellarum Ham. p. 347, 25.

Restant solitaria vocabula tria: المى color labiis dorcadis adscriptus a Tharafa moall. 8. حبشى niger ut Aethiops, Amrulqais div. p. 30, 1 plantam bohma ita vocat valide viridem cf. §. 5. غداف niger ut corvus: capillus Ham. p. 811, 5. cognatum videtur اسدف mihi ex lexicis tantum notum.

Tenebricosum magis quam nigrum denotant voces دامس (de nocte Ham. p. 564, 7) et اقهب (imber vespertinus Amrulq. div. p. 46, 2). مكهفر ater i. e. periculum aut furorem mox exardescentem minitatus, de exercitu Ham. p. 458, 13 et facie avari a quo stipem petivit inops ib. p. 683, 5. dâmis indicum: tamas.

جون et ipsum pro colore nigro habetur et recte, si modo nigredini aliquantum ruboris admisceas: ortum videtur ex persico ثون ut sit color κατ' ἐξοχήν. g'au'n est Irârus qui patre Arabe, matre Aethiopissa nigra natus erat Ham. p. 140, 8 (quum vir cuius mater generis arabici pater Aethiops est خلاسى audiat Ham. p. 365, 6), equus Ham. p. 283, 12: 653, 18: Amrulq. div. p. 27, 18: panthera Ham. p. 96, 5 quam Oppianus cyneg. 872 χαροπόν appellat: onager Amrulq. div. p. 47, 4: olla fuliginosa Ham. p. 721, 20: vertex montis Harith moall. 25: cutis continuo loricâ vestita militum Amru ben Kulthum moall. 78 alias ob colorem اسفع vocata i. e. multo labore pugnis tempestateque fusca Hamas. p. 269, 19. ita septendecim vocabula nigredinem designantia enumeravimus.

2. Color coeruleus.

Unum dumtaxat vocabulum quod colorem coeruleum designat mihi ex ipsis auctoribus notum *أزرق* quod proprie dispergentem colorem significat, nec dubito quin id quod dispergitur animus humanus sit collatis Goethii verbis z. farbenlehre I., §. 779: die blaue farbe macht für das auge eine sonderbare und fast unaussprechliche wirkung. sie ist als farbe eine energie, allein sie steht auf der negativen seite und ist in ihrer höchsten reinheit gleichsam ein reizendes nichts. es ist etwas widersprechendes von reiz und ruhe im anblick. §. 780: wie wir den hohen himmel, die fernen berge blau sehen, so scheint eine blaue fläche auch vor uns zurückzuweichen. §. 781: wie wir einen angenehmen gegenstand der vor uns flieht gern verfolgen, so sehen wir das blaue gern an, nicht weil es auf uns dringt, sondern weil es uns nach sich zieht. apud Arabes color coeruleus vix unquam sensu bono acceptus invenietur quod iam e rebus apparet quae coeruleae dicuntur: sagittae Ham. p. 313, 23: Amrulq. div. p. 21, 14 'sagittae acutae coeruleae pares dentibus daemonum' et hastae politae Ham. p. 164, 11: oculi canum rabidorum qui cervum persequuntur Amrulq. div. p. 34, 5 vel hominis ferocis qui docente rerum memoria aut Graecus aut quod probabilius Persa erat Ham. p. 488, 21. feminae ib. p. 622, 4 laudantur quod non sint oculis coeruleis foedatae quem ad locum commentator oculis coeruleis nigros oppositos esse docet. oculi caesii pro hebetibus Qoran 20, 102. paene semper igitur color coeruleus letifer et exitium mortemque portendens.

3. Color flavus.

اصفر flavus. radix sibilandi notionem habet, unde Hebraeis çippôr a voce stridula. sic Ham. p. 625, 16 alrî'hu taçfiru 'ventus stridit' et ib. p. 720, 19 dá'î allaili bilçub'hi yaçfiru 'praeco noctis sibilat aurorae ut adveniat', ubi confer Esaj. 5, 26 'sibilat ei a terminis terrae et citus agilis-que venit': 7, 18 'dominus sibilat muscae et api'. non omnino igitur vera videntur Goethii verba z. farbenlehre I, §. 748: vergleichen lassen sich farbe und ton untereinander auf keine weise, aber beide lassen sich auf eine höhere formel beziehen, aus einer höheren formel beide, jedoch jeder für sich, ableiten. wie zwei flüsse die auf einem berge entspringen aber unter ganz verschiedenen bedingungen in zwei ganz entgegengesetzte weltgegenden laufen, so daß auf dem beiderseitigen wege keine einzelne stelle der andern verglichen werden kann, so sind auch farbe und ton. beide sind allgemeine elementare wirkungen nach dem allgemeinen gesetz des trennens und zusammenstrebens, des auf- und abschwankens, des hin und wiederwägens wirkend, doch nach ganz verschiednen seiten, auf verschiedne weise, auf verschiedne zwischenelemente, für verschiedne sinne. non omnino inquam vera, quia in voce açfar Semitis nexum chromatologiae et musices non in commune tantum perspectum sed eius singulos gradus interdum vel historicis temporibus notos manifestosque videmus fuisse. açfar est prunus armeniaca Ham. p. 822, 16: clavicula puellae ib. p. 543, 22: hastile sagittae ex ligno salicis ni fallor fabrefactum Tharafa moall. 102. içfarra dicitur de satis vento exarescentibus Qor. 30, 50. cutis flava componitur cum oculo flente tanquam signum moeroris

quo ob mortem cari capitis urgemur Ham. p. 493, 23: aegrotorum color est flavedo ib. p. 596, 1 'puella flava de dorcadibus i. e. puellis Algivae quasi pudor reliquisset in ea morbum recidivum aegroti' quem ad locum pulcherrime F. Rueckertus: die zarte blässe der scham oder vielmehr der geschämigkeit mit dem angegriffnen aussehn überstandner krankheit verglichen ist eines der Lieblingsbilder in denen die fantasie der arabischen erotiker schwelgt, gleich als ob eine leise erinnerung an die hinfälligkeit ein reiz und eine würze des genusses sei. nam

so lang dies herz auf erden schlug
hab ich gelebt genug, genug,
um ein vergehen, ein verschwinden
ein loos der sehnsucht wert zu finden.

semel açfar de colore subrufo legi Qor. 2, 64: baqaratun çafrau fâqi'un launuhâ tasurru 'lnâth'irîna 'vacca rufa, intense lucidus eius color (flavedo) exhilarat videntes' ubi audi Goethium z. farbenlehre I, §. 766: die gelbe farbe führt in ihrer höchsten reinheit immer die natur des hellen mit sich und besitzt eine heitere, muntere, sanftreizende eigenschaft et §. 767: so ist es der erfahrung gemäfs, daß das gelbe einen durchaus warmen und behaglichen ein-druck mache.

D. افلاج de flavedine lurida dentium Ham. p. 829, 22. etiam hoc vocabulum ut açfar a toni comparatione videtur ortum, nam فلاج et فلاج barrivit camelus Ham. p. 465, 3.

C. فاقع Qor. 2, 64 vide supra A fin. proprie prorumpens. radices semiticae quae labiali et gutturali litera constant sensum findendi habent prorumpendique. sic aquae vocantur mefakkim Ezech. 47, 2 et in Kosegartenii chrestom. p. 167, 9 legimus: opinatus sum ramos indutos esse

veste (viridi foliorum) quam curus fibulâ mox connectit mox 'yufakkiku' liberat, proprie dirumpit (der wind knöpft das grüne gewand des baums bald zu bald auf). et Esaj. 58, 8 radix cognata etiam de luce ceu aurora cui cornua duo attribuunt orientales fissâ adhibetur. iam meminimus lucem per aerem turbidum perrumpentem videri flavam neque amplius flavedinem colorem prorumpentem vocari mirabimur.

D. اعييس subflavus, paene albus. vocem tantum de camelis usurpatam legi Ham. p. 329, 21: 547. 11: 548, 5: 550, 11.

4. Color ruber.

Non unum vocabulum quod apud Arabes colorem rubrum denotat nos significationis causam quaerentes ad radicem remittit quae scabendi radendique potestatem habet. color ruber ita vocatur quod in cute humana radendo provocatur. similem originem Jacobus Grimmus nostro blau vindicavit grammatik I, p. 92 ed. 1840: 'darf zum ahd. plâwêr plâo lividus ein goth. blaggvus gefolgert werden? fast sicher; denn das adjectivum gehört zu bliggvan (schlagen, d. h. braun und blau schlagen, blâuen): lividus dicitur qui fuscum colorem in cute ex ictu contraxit.' hac ratione explicandae veniunt voces octo proxime sequentes:

أحم quod non ad chamar 'aestuavit, ferbuit' redire inde clarum quod radix haec significans apud Arabes Hâ duriori scribitur. a'hmar est sanguis Amru moall. 25: Ham. p. 333, 14: 721, 13: digitus puellae cypro tinctus ibid. p. 543, 22: aurora ib. p. 795, 17: nubes Amrulq. div. p. 32, 19: trames in montibus Arabum porphyriticis ut

videtur Qor. 35, 25 cuius versiculi commentarium quasi exhibet Tharafa moall. 27: 'vibices cameli in latere similes sunt tramitibus qui super petras ad puteum ducunt' — confer etiam Amrulq. div. p. 32, 19 'vertices montium quibus sunt lineae quasi volae manus et viae strias panorum imitatae.' coloris rubri potestatem symbolicam ipsi nobis Arabes interpretati sunt $\alpha\upsilon\delta\epsilon\upsilon\tau\kappa\alpha\tilde{\omega}\varsigma$, quae res ad definienda caetera immensi momenti est. Ham. p. 493, 9 châdhahâ ila 'Imauti 'hatta yatruka 'Imauta a'hmarâ 'si hastae vibrabantur in eas se immisit donec relinqueret mortem rubram' quo loco Tebrizius testis vigentibus adhuc Arabum literis scribens (nam mortuus est anno higræ 502) haec habet: 'rubram i. e. vehementem. dicunt pulchritudinem esse rubram i. e. eos qui venustatem ament aerumnis hostiliter peti. Abu Obaida Arabes vim per ruborem describere refert. mortem rubram vocant quia maior pars ferarum bestiarum rubra est aut secundum alios quia mundus ruber apparet ei cuius anima a corpore separatur' et ib. p. 333, 14: 'dicitur rubere calamitas quum admodum gravis est. dicunt etiam rubere pulchritudinem i. e. graviter incumbere aerumnam in amatores venustatis.' ex hoc testimonio perquam distincto licet insulsa quaedam admixta non paucos qui videre nolunt ad reiciendum et deridendum impulsura sciam statim quid Esajas 1, 18 sibi voluerit elucebit: 'si sunt peccata vestra coccinea ut nix albescent et si ceu purpura rubent lanae similes fient': quibus verbis vel adeo abusi sunt ut colore rubro peccatum significari iis probare conarentur. quomodo vere tentorium mosaicum tum tam clare ruberet? neque tamen in his Esajae verbis adeo urgenda comparatio ut colore albo rubedine illic opposito debilitatem indicari autumes,

inconsulte id vel ea de causa facturus quod peccata debilitata adhuc sunt peccata neque in his non valeat Hesiodum πλέον ἤμισυ παντός. ille Esajae versiculus paulo minus correcte dictus id vult ut peccatores pessimos peccatis liberatos in sanctos transmutari posse aiat. caeterum procul dubio potestatem vehementiae et virium ideo habet quia sanguis sedes vitae rubet rudim. p. 16. Praeter aħmar eandem originem habent a radendo voces اسلخ et اسلغ: radix pellem vel detraxit vel exuit Ham. p. 785, 6; افشم: radix excoriavit Ham. p. 605, 7: 785, 4; افرف: radix decorticavit, escharam a vulnere detraxit Ham. p. 605, 7: 785, 4: cognatumne latinum carpere? امسح et ممشق et مشغ diversae formae eiusdem radices quae attritionem lacerationem intertriginem significat.

B. Aliis vocabulis rubedinem designantibus splendoris notio inest tanquam primaria ut rubedinem ad lucem et albedinem tendere videamus et

que no parece mal
entre el diamante y la esmeralda hermosa,
sobre el oro mas puro y refulgente
el rosicler de la purpurea rosa!

ثقيب: radix vehementer splenduit de luce, stella et μεταφορικῶς de generis nobilitate Ham. p. 701, 4. زاهر et بهرمان radices notissimae, studiorum mysticorum amici admirantur libros bahir et zohar. nomen substantivum زهو de colore dactylorum maturescentium qui inter rubrum fuscum et gilvum medius legi apud Amrulq. div. p. 26, 4.

C. Sex vocabula colorem rubrum apud Arabes designantia a Japhetitis mutuo accepta sunt:

ارجوان purpura a splendore sic dicta rudim. myth. sem. p. 33: color sanguinis recens fusi Amru ben Kulthum moall. 25. Boppius confert arguna.

اشقر v. rudim. myth. sem. p. 19: color sanguinis quo in pugna equi consperguntur Ham. p. 88, 10 sed etiam equorum non cruentatorum color naturalis ib. p. 247, 25: 281, 9. item aurorae et ignis Ham. p. 718, 20. sicut vox ipsa peregrina est ita etiam si de hominibus adhibetur peregrinos designat inprimis Persas Ham. p. 657, 25: 658, 1 'per aschqar innuit servum, Arabes enim Persas rubros vocant quia colore rubro maxime insignes sunt: si igitur a poeta quidam praeda ashqari vel rubri esse dicuntur praedam eos esse virorum impotentium et parum aestimatorum existima. vides igitur ashqar colorem esse modo lucidiorem modo nigriorem.







ومرد color equi Ham. p. 206, 25: 306, 23: 308, 4: 638, 11: 653, 18: 729, 1 et montium altorum ib. p. 645, 14: leonis fulvi Harith moall. 57.

eadem vox وارس: wâris est sanguis Ham. p. 283, 12 et scopulus musco (wars Ham. p. 272, 24) arabico fulvus. eadem etiam رادنى Ham. p. 218, 18. nam râdin 'crocus' est indicum rauhina 'sandal wood' vel rohita 'red, safflower, blood' quae verba a radice ruh 'crescere' derivanda antiquo tempore ut zendicum rudh docet per dentalem aspiratam terminatâ Burnouf Yaçna not. p. xxxiii. hinc etiam Graecorum ῥόδον vel βῥόδον, latinorum rutilus indico rudhira respondens et Graeco ἔρυσθῆς color ruber crescens dicebatur a veteribus Indis ni fallor ex consideratione orientis solis qui omnium colorum pater ubi primum ascendit rutilat.

جادی 'vox peregrina de colore vini et sanguinis adhibita' Freytag. Ham. p. 328, 23: vulneravi eum ictu enormi profundi faciente rem croco (gâdi) similem i. e. sanguinem, est indicum gatu 'lac, a red dye or animal pigment

analogous to cochineal'. *gatu* proprie natus, genitus quod similiter explicandum videtur quam voces proxime praecedentes.

كُمَيْتٌ lexicographi arabici a persico quodam كُمَيْتِه 'mixtus' ducunt quod mihi incognitum, كُمَيْتِه Richardsonius mixed together exponit. ita colorem rubrum kumait appellatum volunt qui sit ex rubro nigroque mixtus. kumait est vinum Tharaf. moall. 59: Ham. p. 554, 20: 562, 1: culmen montis Ham. p. 645, 14 et equus ibid. et Amrulq. div. p. 22, 9. scholiasta Amrulqaisi l. c. huius coloris equos prae ceteris validos et constantes esse affirmat, qua re id nobis id memoriam revocatur quod supra ad vocem a'hmar exposuimus. non est quod haec sex vocabula iaphetistica in quotidianum Arabum duo etiam in Hebraeorum usum transiisse miremur, ab antiquissimis enim temporibus Noe vaticinium illud illustrissimum valuit: Japhet habitabit in tentoriis Semi, eodem modo quo preces patris ut deus Japhetum dilatet exauditaе sunt. nam si Semitae parvum terrarum numerum possident linguasque loquuntur vix magnopere diversas ut earum propinquitas nullo unquam tempore non agnita sit, Japhetitae per universum paene mundum diffusi grammatica comparativa opus habebant qua eadem lingua eos uti probaretur. quid quod ipsum Semi nomen e linguis iapheticis transsumptum videtur? ut dicam quod sentio Semus proprie deus aquae et deinde vitae auctor et pater, nam vitae index aqua v. rudim. mythol. semit. p. 46: conferendae voces indicae tāmara 'aqua', timi 'oceanus' rudim. p. 23 quae etiam litera sibilanti ordini possunt. ad hanc sententiam ea re motus sum quod quum Noe eiusque filios pro personis historicis vendere anachronismum esse dudum intellexissem, Noe cum Dio-

nyso et Osiride comparari eiusque filiam vel nurum Sambethen vel divinis honoribus ornari a gentilibus viderem. Photius in quaestionibus ad Amphilochium apud Montefalconium bibl. Coislin. p. 347 Σίβυλλαι, inquit, γεγόνασι δέκα ὧν πρώτη ὄνομα Σαμβήθη, Χαλδαίαν δέ φασιν αὐτὴν οἱ παλαιοὶ λόγοι, οἱ δὲ μᾶλλον Ἑβραίαν, καὶ δὴ καὶ ἐνὶ παιδων τοῦ Νῶε εἰς γυναιῖκα ἀρμουςθῆναι καὶ συνεισελθεῖν αὐτῷ τε καὶ τοῖς ἄλλοις ἐν τῇ κιβωτῷ et Suidas s. v. Σίβυλλα Χαλδαία ἢ καὶ πρὸς τινων Ἑβραία ὀνομαζομένη, ἢ καὶ Περγίε, ἢ κυρίῳ ὀνόματι καλουμένη Σαμβήθη ἐκ τοῦ γένους τοῦ μακαριωτάτου Νῶε, quam Sambethen deam fuisse videmus ex inscriptione Thyatirena apud Sponium in itinere I, p. 398 inveniendâ: Φάβιος Ζώσιμος κατασκευάσας σορὸν ἔφετο ἐπὶ τόπου καδαροῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως πρὸς τῷ Σαμβαθείῳ ἐν τῷ Χαλδαίου περιβόλῳ. (nomina nuruum Noe alia s. Hippolytus Ostiensis exhibet opp. II, p. 38 ed. Fabr.   Semi,   Chami,   Japheti uxor: servatum hoc Hippolyti fragmentum in catena arabica in Pentateuchum quae in bibliotheca bodleyana asservatur.) cum hac Sambethe vide num cohaereat fluvius Sambation decem tribus perditas Hebraeorum circumfluens, qui per totam hebdomadem adeo rapidas volvens undas ut transitus plane nemini permittatur sabbato quo Israelitae ita perpetuo inclusi iter vel paulo longinquius suscipere si legem mosaicam servare velint nequeunt adeo vado transiri potest: cf. Plin. hist. nat. 31, 18: Joseph. bell. jud. 7, 24. Sambationem ita cum sabbato composuerunt ut Armenii nomen Shambath in Bagratidarum praecipue familia usitatum a Senacheribo (sen vel san in nominibus assyriacis quibus et Sanchuniathonem adnumero mihi videtur contractio vocis cpenta 'sanctus' rudim. mythol. semit.

p. 21) descendente cuius abnepotem quendam principem Bagration in exercitu russico supremum belli ducem patrum nostrorum temporibus Germania contra Napoleonem pro libertate dimicantem vidit Mos. Choren. I, 16. si in fabulae illius sensum inquiramus, decem tribus quum genere et familiae memoria magicâ quadam potestate ut in alium vivendi modum transeant impediende (generationem per aquam significari apud Semitas demonstravi rudim. mythol. sem. p. 48) tum lege mosaica (ἕως σήμερον, ἡρῖκα ἀναγινώσκειται Μωυσοῦς κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν κεί-
ται· ἡρῖκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς κύριον περιαιρεῖται τὸ κά-
λυμμα 2 Cor. 3, 15. 16) parum e consilio quo a deo data est intellectâ et amatâ vetari quominus ad castra christiana et historica se convertant crediderim significari. quod nomen Sambethes cum Semo comparatum esse volebat. accedit iam quod Moses Chorenensis 1, 6 Simum Xisuthri filium pro ipso Zrwan deo habitum refert a popularibus iuxta flumen habitantem: cuius Simi filius Tarban item aquae accola idem videtur qui Traêtôna zendicus quem collatis zendavestae et vedorum locis Richardus Rothius aquam significare egregie demonstravit. dentalis prior vocis Traêtôna apud Persas recentiores qui Ferîdûn vocant, posterior apud Armenos in labialem cessit, simili ratione kerûb Hebraeorum hactenus nondum explicatus mihi Garuda avis qua Brahma apud Indos vehitur. utramque dentalem servavit Δάρδαρος mysteryorum samothraciorum, quorum cum fratribus duobus inimicis libenter Cainum et Habelum componerem ut mythus hebraicus fabulam physicam in ethicam vertisset. porro Zames quidam nobis ob-
vius qui Ninyas est Euseb. chron. Armen. I, p. 98 Semiramidis filius et interemptor Mos. Chor. I, 16. Semiramis

indice tamerâmâ dicta fuisset (das wasserweib) rudim. mythol. semit. p. 23 quam iam l. c. cum Tammuzo et Thamimazada Neptuno Scytharum composui. nunc in regionibus notioribus sumus. Ninus hebraice Nimrod dicitur qui mihi ipse Amerdad postea inter summos religionis zoroastrianae genios receptus, suffecta tantum in locum a privativae praepositione *σινωνύμω* ni. Nineveh est habitatio Nini (quod nomen F. Hitzigius piscem interpretatur), nam veh est legibus grammaticae comparativae respondet indico vas vel *ναϛ*, graeco *οἶκ-ος*. nunc non dubium videbitur Semum pro Adonide et deo aquae habere. Molochi vices apud Assyrios gessisse videtur Er vel Araeus qui et Zoroaster dictus Chamo Noe filio equiparatur a veteribus: Clemens Alex. strom. 4, 14. 104 *ὁ αὐτὸς Πλάτων ἐν τῷ δεκάτῳ τῆς πολιτείας Ἔρως τοῦ Ἀρμενίου τὸ γένος Παμφύλου μέμνηται ὅς ἐστι Ζοροάστρης· αὐτὸς γοῦν Ζοροάστρης γράφει· τάδε συνέγραψε Ζοροάστρης ὁ Ἀρμενίου τὸ γένος Πάμφυλος ἐν πολέμῳ τελευτήσας ἐν Ἰδίῃ γενόμενος ἐδάην περὶ Φεῶν· τὸν δὲ Ζοροάστρην τοῦτον ὁ Πλάτων δωδεκαταῖον ἐπὶ τῇ πυρᾷ κείμενον ἀναβιβῶναι λέγει· τάχα μὲν οὖν τὴν ἀνάστασιν, τάχα δὲ ἐκεῖνα αἰνίσσεται ὡς διὰ τῶν δώδεκα ζῴδιων ἢ ὁδῶν ταῖς ψυχαῖς γίνεται εἰς ἀνάληψιν.* hunc Erem equidem pro Araeo Mosis Chorenensis 1, 14 habeo, qui Ara' Armeniorum redit ad eandem radicem *ērē* quam in nomine *Çpenta ârmaiti* obviam agnoscit E. Burnoufius *Yaçna* p. 139: not. p. cxl: *journal des savans* 1837, p. 275. de Zoroastre Clemens Romanus in recognitionibus 4, 27 — 29 haec habet: ex filiis Noe unus Cham nomine quidam ex filiis suis qui Mesraim appellabatur a quo Aegyptiorum et Babyloniorum et Persarum ducitur genus, male compertam magicæ artis tradidit disciplinam: hunc gentes quae tunc erant Zoro-

astrem appellaverunt admirantes primum magicae artis auctorem cuius nomine etiam libri super hoc plurimi habentur. hic ergo astris multum ac frequenter intentus et volens apud homines videri deus velut scintillas quasdam ex stellis producere et hominibus ostentare coepit, quo rudes atque ignari in stuporem miraculi traherentur, cupiensque augere de se huiusmodi opinionem saepius ista moliebatur usque quo ab ipso daemone quem importunius frequentabat igni succensus concremaretur. 28 Sed multi homines qui tunc erant cum debuissent utique opinionem quam de eo conceperant abicere quippe quam poenali morte eius viderant confutatam, in maius eum extollunt. exstructo enim sepulero ad honorem eius tanquam amicum dei et fulminis ad coelum vehiculo sublevatum adorare ausi sunt et quasi vivens astrum colere. hinc enim et nomen eius post mortem Zoroaster h. e. vivum sidus appellatum est ab his qui post unam generationem graecae linguae loquela fuerant repleti. hoc denique exemplo etiamnunc multi eos qui fulmine obierint sepulcris honoratos tanquam amicos dei colunt. hic ergo cum quartadecima generatione coepisset, quintadecima defunctus est in qua turris aedificata est et linguae hominum multipliciter divisae sunt. 29 Inter quos primus magica nihilominus arte quasi corusco ad eum delata rex appellatur quidam Nemrod quem et ipsum Graeci Ninum vocaverunt ex cuius nomine Ninive civitas vocabulum sumpsit. sic ergo diversae et erraticae superstitiones ab arte magica initium sumpsere. etenim quoniam difficile erat humanum genus ab amore dei abstrahi et ad surda atque exanima simulacra deduci, idcirco excelsioribus usi sunt magi molitionibus ut astrorum signis ac motibus tanquam coelitus et voluntate dei delatis ad

suadendos cultus erraticos verterentur. et eius quem supra diximus indignatione daemonis cui nimis molestus fuerat conflagrasset, busti cineres tanquam fulminei ignis reliquias colligentes hi qui erant primitus decepti deferunt ad Persas ut ab eis tanquam divinus e coelo lapsus ignis perpetuis conservaretur excubiis atque ut coelestis deus coleretur. Haec ille. atque etiam apud Iudaeos veteres harum fabularum aliquid superstes si angelos quos liber geneleos cum filiabus hominum fornicatos esse refert 6, 1 Shamgaz et Sham'hazâi dictos fuisse narrant Buxtorf lex. talmud. col. 2444. 2441. horum nominum pars prior tâmara 'aqua', alteram quam redire censeo in arabico قوس قزح 'arcus coelestis' Hamas p. 778, 9: Kosegarten chrest. arab. p. 163, 16 (Qoza'h satanas i. e. si explicare recte velimus deus quidam ethnicus) componere audeo cum *κάρσα* et persico کادن 'fornicari'. Semiazas Georgio Syncello I, p. 20 Dind. idem qui Shamgaz Iudaeorum. si de loco geneleos 6, 1 sq. quem mythicum esse non est quod probemus pauca addere liceat (ubi qui benè elohim aliter quam de angelis interpretantur aut consulto errant aut linguam ingeniumque Hebraeorum foede ignorant) initia idololatriae a scriptore enarrari puto: angeli personarum in vetere testamento vices vix gerunt, ipsum nomen mal'ak abstractum 'legatio', οὐχὶ πάντες εἰς λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν; Hebr. 1, 14 cf. Job 38, 6. 7. sunt vires omnipotentiae divinae per universum diffusae, quibus per se consideratis neque ad focum centrumque amoris divini relatis orta est subtilior primum mox omnibus vitis foeda idololatria quam adulterium et fornicationem dici saepissime in veteris testamenti libris invenimus. vix est

quod mythos omnes, atque ita etiam hunc nostrum explanationes varias admittere et quo sanctiores sint eo plures moneamus. de Zoroastre Chamo adi etiam chron. paschal. I, p. 64—68 sed Chamum cave cum κομαίω Ἀπόλλωνι Athenaei ut saepe factum video componas, bene enim Dindorfius apud hunc 4, 32 vocem κομαῖος litera minori ordini iussit ea de causa ni fallor quia γουναίω oppositum volebat, notemus adhuc has fabulas non esse armenicas sed assyriacas, si enim armenicae essent, Armenii Semiramidem non Shamiram vocare possent neque etiam nomen Sham-bath quod extraneum esse probe norunt sibilanti incipere litera quum radix horum vocabulorum, ut adiectivum tamuk 'madidus' docet, apud eos dentali ordiatur. apud Syros 𐤒𐤍 'φάρμακον' est ipsa radix nostra, aqua in vedis quavis pagina medicina vocatur. quumque jam dissertatio nostra in Assyria moretur quintum ab Aloro Amegalarum Euseb. chron. arm. I, p. 12 et quintum ab Adamo Mahaleelem (hebraice Mahalal'el) nomina satis similia habere addo, item septimum ab Aloro Euedoreschum vel quasi praeritice Aëdorachum Euseb. l. c. p. 13 videri esse Chadrak Zachariae 9, 1 quod nomen vide num sit kalpavriksha Indorum haomae Zoroastris respondens et ad designandum imperium Persarum apprime aptus (vriksha praeritice rukkha, cf. Prov. 3, 18). ne denique nobis ipsi defuisse videamur ad sustentandam opinionem meam de Cyro herodoteo Adonide Semiramidem cum Tomyri a Cyro debellata compono. Zoroaster deus i. e. aureum sidus anne apud Amosum 5, 26 inveniendus?

D. Restant explicanda vocabula quaedam arabica rubedinem designantia quae communi vinculo iungi nequeunt.

رصاص rubiginosus, rufus ex nigro. Ham. p. 448, 24 colori picis comparatur.

صهيب subrufus: vinum Ham. p. 554, 19. صهيبى de
camela Tharaf. moall. 24. cauda equi colore açhab
vituperatur Amrulq. div. p. 25, 15.

احسب de crinibus viri quorum color tanquam turpis et
deformis deridetur Amrulq. div. p. 38, 10. a'hsab
et açhab possent cognata esse.

صرح de digitis viri qui pulices interfecit cruentis Ham.
p. 799, 8.

5. Color viridis.

Apud Persarum poetas color viridis in quavis fere
pagina obuius cumque apud Japhetitas etiam in rebus
sacris nonnihil momenti habuisse videmus ex nomine Bac-
chi *Σαβάζιος* quod mihi videtur persicum sebz 'viridis'.
Semelem ex Joannis Lydi non coniecturis etymologicis
sed testimonio historico in rudimentis mythol. Semit. p. 23.
demonstravi terram hebraice *têbêl* dictam esse (Joannis
Lydus vocabulum antiquissimis temporibus *Θεμέλη* pronun-
ciatum refert), quidni Semelae filius plantas designaverit
a terra progerminatas? sunt tamen Bacchi complures probe
distinguendi, Thracicus est omnino mysticus genusque hu-
manum significat sensim per angusta ad angusta et *κοι-
νωρίαν* *θείας φύσεως* 2 Petr. 1, 4 adducendum, qui Dyô-
nivêça dictus Graecorum *Διονύσῳ* nomen indidit. color vi-
ridis apud Arabes duo imprimis habet nomina *أحوى* et
أخضر.

أحوى vulgo pro colore nigri habetur sed male. nam
a *chawá* i. e. *chayá* descendens colorem vitae proprie
significat i. e. viridem nigricantem. similiter paradisi lacte
virentes Qor. 55, 63 *mud-hâmmatâni* audiunt i. e. nigri-

cantes. vox a'hwa ita sensu viroris usurpata legitur de pascuis Amrulq. div. p. 31, 5 et de plantis Hamas. p. 110, 25. deinde a'hwa ad colorem comae transfertur Ham. p. 383, 24 quam orientales imprimis Persas centies viridem vocare ridiculus essem si exemplis probare inciperem: adeo barba Chidhr appellatur aquam vitae de ore fluentem custodiens Hafiz apud S. de Sacy Pendname p. 285. neque id cum sensu qui alias apud orientales crinibus tribuitur non cohaeret, quos videmus vitae signum et imaginem esse ex Nazaraeorum exemplo et ex usu antiquo recens nuptas detondere quum nuptiae ubivis morti equipararentur. omnino neglecto virore a'hwa de nubibus pluviam missuris Ham. p. 258, 15.

أخضر. chadhir de olera Qor. 6, 99: spicae virides (chudhr) opponuntur aridis ibid. 12, 43. achdhar cucurbita aquatilis Amrulq. div. p. 44, 9: muscus aquaticus stagna tegens ibid. p. 47, 13: undae pelagi Ham. p. 726, 5. apud Harithum moall. 56 mentio armorum persicorum viridium quae Zuzenius ferruginosa exponit non dubito quin male: etiam nos colorem quendam stahlgrün vocamus. si ad fontem vitae Chidhr de quo vide Josephum de Hammer in Ullmanni et Umbreiti theolog. stud. u. kritik. 1831, p. 829—832 custos stat, id in memoriam revocat Ezechielis locum 47, 7. 12. vocabuli nostri grün radix ut hoc addam superstes in anglico to grew. quomodo color viridis ad designandam vitam adhiberi potuerit (plantis saepissime in vetere testamento homo comparatur) sc. quod viridis ex caeruleo et flavo colore mixtus est sicut homo unitas scintillulae divinae et corporis terreni ad id explicandum Thomsoni verba in auxilium vocare licebit (spring, mox post initium)

the penetrative sun,
 his force deepdarting to the dark retreat
 of vegetation, sets the steaming power
 at large, to wander o'er the vernal earth,
 in various hues, but chiefly thee, gay green!
 thou smiling nature's universal robe!
 united light and shade! where the sight dwells
 with growing strength and evernew delight.

6. Color albus.

أبيض est color ignis, nam Ham. p. 207, 13 gladius vocatur abyadhu kalqabasi 'lmultahibi 'albus ut flamma ardens'. saepissime abyadh de gladio ita usurpatur ut nomen substantivum ad hunc accuratius designandum additum sit nullum Ham. p. 21, 4: 231, 3: 259, 3: 313, 19: 318, 17 (cf. baidh galea Ham. p. 347, 7) vel adiecto epitheto indici Ham. p. 469, 13. deinde puellae ita vocantur Ham. p. 546, 16: 566, 4: 595, 9 quo loco abyadh colorem diei esse comperimus: Amrulq. div. p. 31, 9: 34, 16: 45, 10 earumque genae Ham. p. 543, 22 et claviculae ibid. p. 612, 18 et facies ib. p. 725, 3: Amrulq. div. p. 36, 10. item urbs Hira Ham. p. 811, 3 et esca quaedam et poculum argenteum ibid. p. 554, 19. sed مفاقتنا 'albos vertices capites habemus' Ham. p. 47, 16 insolenter dictum foret quia de canitie capitis cuius hoc loco ne apte quidem mentio fieret Arabes radicem shâba usurpant, bâdha tantum si illa iam praecesserit ut Hamas p. 498, 22 raaitu 'lschaiba lâ'ha bayâdhuhu fi mafriqi râsî, ubi radix semitica lâ'ha exactissime convenit cum indico ru' unde luco et guna λευκός (lâ'ha Tharaf. moall. 1: Hareth moall. 8). praefero igitur hamasae loco laudato lectionem in scholiis memoratam معارفنا ut explicante Tebrizio albedo facierum

puritatem animi et absentiam cuiusvis criminis significet. sic vir cuius nobilitas praedicatur vocatur abyadh Ham. p. 764, 21 vel abyadh mâg'id ib. p. 441, 1 (etiam mâg'id ma'hdh Ham. p. 366, 26). etiam de coloris albi significationibus symbolicis expressa ipsorum Arabum testimonia habemus inter quae eminent Zuzenii annotatio ad Tharafa moallaqam 49. Tharafa se cum albis sociis potasse canit, ubi Zuzenius: vocat eos albos splendidos quoniam sunt ingenui ipsi et matrum ingenuarum filii non ancillarum quarum color [fuscus] in eos transire potuisset. aut propter nobilitatem colorum et splendorem candidum in consessibus et conventiculis quibus opprobrium eos consequi nequit quo irati colores mutant aut quia ab omni turpi re remoti sunt, nam albus color purus a spurcitie et sordibus. aut propter celebritatem quia equus candidus inter equos celeberrimus est. atque Arabes si quid albedinis praedicato ornant id propter unam harum rationum faciunt. minus accurate Tebrizius Hamasae p. 68, 12 verba explicaturus, 'equi currunt albos portantes qui in calamitatibus feroces sunt' haec habet: Arabes cognomen alborum nobilibus dare consueverunt quasi puritatem ab omni crimine ita indicaturi. sensus est eos nil facere quod ipsos dehonestet mutetque colorem eorum . . . fieri potest ut per albos illustres eos esse significare velit atque etiam ut colores ipsorum eclipsin non pati nec tristiores fieri per calamitatem innuat. cf. Thomsonum suavissimum canentem

even from the body's purity the mind
receives a secret sympathetic aid.

caeterum abyadh etiam de locis nudis quales vertices montium arabicorum; Amrulq. div. p. 28, 9 'fulgur illuminans nubem super vertices albos (i. e. explicante scholiasta nu-

dos, plantis carentes) montium et ibid. p. 28, 15 pluviâ dicuntur congregari lacertae et praecipitari de rupibus apricis in quibus sole uri amant in planities albas i. e. herbis quae ob aquae inopiam exaruerant destitutas.

اغر sunt dentes puellae Ham. p. 347, 25: pingues offae carnis ib. p. 664, 3: dies procliis magnis illustres ibid. p. 319, 15: viri ingenui ibid. p. 773, 4: primi aurorae radii ib. p. 794, 18.

آدم per scholiastas arabicos ubique locorum per abyadh explicatur, proprie color carnosus i. e. russus ex rubicundo candicans qualis cutis humana rubro sanguine pellucidae. feminae pulchrae vocantur bîdhun kalârâmi wa'udmun kaldumâ albae ut dorcades, clarae lucidaeque ut statucae. verum etiam camela est admâ Ham. p. 177, 7: 709, 12. apud Aethiopes ad pulchritudinem designandam haec radix adhibetur: addâm pulcher, iucundus Ludolf lex. aeth. c. 377, sicut a voce indohebraea çôna et shani 'coccus' derivarunt sannaya 'pulcher, praestans fuit' Ludolf ib. c. 115. 116.

اعفر color ex rubedine et candore mixtus: rupicapris adscribitur Amrulq. div. p. 28, 7: 32, 5.

7. Color rarus.

اسم color ligni aridi (holzbraun) Tebrizi ad Ham. p. 472, 22. paene semper epitheton hastilium Ham. p. 231, 4: 26, 9: 779, 1: 706, 8: 472, 22. de pedibus camelorum Amrulq. div. p. 30, 3.

اقتم vel قاتم colore pulveris praeditus Ham. p. 163, 17 de nocte ut paene nigrum esse videamus. qatâm pulvis Amrulq. div. p. 21, 12 quo loco pulvere conspersus

Bibliothek der
Deutschen
Morgenländischen
Gesellschaft

idem qui Persis châk ender dehân audit rudim. mythol. semit. p. 18. اطحل oculi leopardi Ham. p. 97, 7 cinerei. اريد vel ارميد cineritius: struthiocamelus Tharaf. moall. 13. color hic exosus calamitatem designat sicut porta Ham. p. 508, 24 ei qui ab amico, ait, in terra peregrina desertus est revelantur ex regione hostili quidam de coloribus huius regionis cinereis i. e. explicante Tebrizio: th'ahara lahu min a'dâyihî mâ yakrahuhu (ita enim legendum videtur pro yakrahu). asmar, aqтам et arbad colores ex nigro alboque mixti, contra athlas et ash-hab in luteum vergunt. اشهب color suum aut quorundam camelorum Ham. p. 305, 29. اطللس lupus saepissime.

S. Corollarium.

Si nunc quae hactenus nobis patuerunt ad tabernaculum Hebraeorum sacrum illustrandum breviter (multa verba longamque expositionem huius loci non patitur angustia) adhibemus quo cumulus quidam accedat dissertationi quam paucorum dierum ad conscribendum nobis concessorum spatio angusto urgente doctrina arabica cumulare non poteramus et vix ea quae satis esset copia instruximus, re ipsa et eventu de veritate decreti nostri edocbebitur vetus testamentum unice ex ingenio populorum orientalium explicandi. ohel mo'ed omnino est tabernaculum foederis, non enim ante ictum foedus exstat et foedere icto statim exstruitur Exod. 25, 8. est vero signum et imago conventi i. e. pacti et locus conventus, sed qui tantummodo ad cogitationem valeat nec sensibus sed animo sit comprehendendus. necesse igitur ut utraque pars et deus et homo in hoc tabernaculo repraesentata sit. nos nunc de

coloribus tantum sacris agimus qui ita separandi sunt ut, hyacinthinus et purpureus numinis, coccineus et albus populi vices gerant. et tekélet quidem significat deum nondum revelatum hominibus, argaman deum foederis cum populo icti auctorem Israelitarumque regem. simili ratione coccus vitam generis humani quae est secundum naturam rudem adhuc et divini spiritus expertem indicat, byssus albus eandem numinis amore et cognitione augustiorem clarioremque. jam supra vidimus ruborem non raro a splendore denominari ac lucem albedinemque esse finem ad quem tendat. sponte apparet colorem flavum utpote aut mortis aut laetitiae imaginem et viridem vitae creatae cuiusvis et omnigenae signum locum habere non potuisse, ubi natura numinis divini et generis humani exprimenda erat. Baehrium omnes quibus tentorium Mosaicum lucet colores signa esse volentem diversas quibus deus mundo se patefaceret rationes experientia symbolik I, p. 325 errare crediderim, quia eius sententia colores nil esse aliud quam lucis immutationes ib. I, p. 317 illius explicationis et causa et fatum est. nam non ex luce tantum oriuntur colores sed auctore Goethio nostro etiam ex tenebris utique a luce nunquam separandis, quum sicut nemo contra deum est nisi deus ipse ita etiam nullo alio pugnam sustentaturo contra lucem nemo pugnare possit nisi lux. caeterum si numerum octonarium vestimentorum consideremus quibus summus sacerdos si rite munere fungi vellet indutus esse debebat (v. Hebraeos apud Baehrium symb. II, p. 71), coniectura permissa erit hunc numerum e theologia Semitarum gentili quam octo deos agnovisse demonstravi alio loco transsumptum et quatuor colores sacros Hebraeorum proprie diis Semitarum consentibus deditos fuisse. Belita-

nam caeruleum pingi solitum scimus; accedit quod tekêlet a radice kûl vel kalal repetendum videatur unde Belitanas Cyllenus audiebat. tekelet est color coeli omnia comprehendentis. Atque ut coccus et byssus apud Hebraeos generis humani vitam naturalem et sanctificatam designant, ita apud gentiles Semitas Astartae et Oncae vindicandi forent i. e. materiei rudi et mundo divina sapientia condito et disposito.

V I T A.

Natus sum Paulus Antonius Boetticher Berolini die 2 Novembris 1827 patre in gymnasio friderico guilelmino professore. confessioni addictus sum evangelicae. inde ab auctumno anni 1833 scholam realem et mox gymnasium patrium frequentavi, quibus studiis vere anni 1844 absolutis in universitate literarum Berolinensi in civium academicorum numerum receptus qui theologiae linguisque orientalibus operam darem scholas adii philosophicas Trendelenburgii, theologicas Neandri Hengstenbergii, de literatura sinica et tatarica exponentem audivi Petermannum. inprimis vero interfui lectionibus privatissimis copticis M. Schwartzii quem nunc ereptum nobis praematura morte lugemus et persicis arabicisque F. Rueckerti cui viro dici vix potest quanta debeam. Vere a. 1846 Halam me contuli ubi J. Muellerum Tholuckium Thilonem de theologia, Schallerum de philosophia commentantes audivi, seminario quod veteri testamento explicando moderante Hupfeldio operam dat senior qui dicitur praefui. Berolinum vere 1847 reversus a Hengstenbergio et Twestenio inter seminarii theologici sodales receptus sum. auctumno horas aramaicas edidi quarum editio altera et auctior multo et emendatior 1848 prodiit (rudimenta mythologiae semiticae), quod opusculum amplissimo philo-

sophorum ordini una cum dissertatione hac tradidi quo specimine doctrinae uteretur. Quum enim liberalitas et benevolentia virorum summorum qui stipendium ad reformatae in Marchiis religionis memoriam ab urbe patria conditum administrant hœc me donare velit, e lege summos antea in philosophia honores impetrare conor.

THESES.

1. Iniquissimum est Hegelii iudicium de Shakspearii fabula love's labour lost latum.
 2. Vir nequam poeta bonus esse nequit.
 3. Vetus testamentum nisi ex ingenio populorum orientalium probe examinato et penitus perspecto vere explicari non potest.
 4. Si datur theologia gentilis, mythologiam quandam revelationis concedamus necesse est.
-

INHALT

Faint, illegible text listing the contents of the book, including chapter titles and page numbers.







D: Le 931

ULB Halle

000 873 497



3/1

